



**Ethica Amoris, Sive Theologia Sanctorum, Magni
Præsertim Augustini, Et Thomæ Aquinatis**

Circa Universam Amoris & Morum Doctrinam, Adversus Novitias Opiniones
Strenuè propugnata, Et In Materiis Principaliter Hodie Controversis
Fundamentaliter discussa

De Generalibus Principiis Amoris Et Morum - Prolegomena septem,
Librosque undecim complectens

Henricus, de Sancto Ignatio

Leodii, 1709

Caput VI. Nullus metus, quàmlibet gravis, à tota culpa excusat in iis qua
sunt intrinsecè mala; benè aliquando in iis, quæ solùm prohibita sunt lege
positivâ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73187](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73187)

tiâ, cæterisque requisitis, Deus per gratiam providebit, ne homo per ignorantiam peccet contra legem, ignorantia non erit invincibilis practicè, sed vincibilis. Et hoc sensu Deputati Lovanienses, inter alios Scholæ suæ articulos anno 1677. Innocentio XI. oblatos, hunc exhibuerunt: *Uri nulla concupiscentia est insuperabilis; ita nulla legis naturalis ignorantia est invincibilis. Quippe sicut omnis illa per divinam gratiam auxilium; ita omnis hæc per eisdem gratia lumen superari potest.*

CAPUT VI.

Nullus metus, quàmlibet gravis, à tota culpa excusat in iis quæ sunt intrinsecè mala; bene aliquando in iis, quæ solum prohibita sunt lege positivâ.

- 19 **P**robatur 1^a. pars, quia quæcumque sunt ejusmodi, nullo unquam casu licita sunt, sed semper peccata. Peccatum verò majus malum est quàm aliud quodcumque malum. Per consequens amoris ordo non permittit peccatum eligi ad vitandum minus malum, sicut nec ad consequendum quodcumque bonum. *Non enim sunt faciendæ mala, ut eveniant bona.* Unde mors potius eligenda est quàm quodcumque peccatum, ut suo nos exemplo sancti Martyres docuerunt.
- 20 Fatendum nihilominus quòd metus gravis injustè incussus, diminuat culpam. Quia diminuit voluntarium; licet non causet involuntarium simpliciter. Unde cap. *sacris*, de his quæ vi, dicitur, quòd metus attenuat culpam, *est eam non prorsus excludat.* Non sic tamen attenuat, ut eam faciat de mortali venialem, in materia gravi, ut patet in Petro, qui timore mortis Christum negavit, & in iis qui eodem metu idolis sacrificarunt.
- 21 Probatur 2^a. pars, quia leges positivæ sæpè non obligant cum periculo grandis mali, v. g. mortis, vel gravis infirmitatis. Neque enim cum tanto periculo tenetur Christianus Sacram v. g. audire die Dominico.
- 22 Aliquando tamen leges positivæ, etiam humanæ, obligant cum periculo vitæ, quando scilicet commune id exigit bonum, v. g. ut miles pugnet, vel stationem suam non deserat. Lex etiam divina positivâ Pastorem obligat ad Sacramenta necessaria peste laborantibus ministranda cum periculo vitæ, dum alius non est qui officium ipsius suppleat. Quia *bonus Pastor animam suam dat pro ovibus suis.* Accedit etiam aliquando legibus humanis divina lex, vel naturalis, ob cujus accessum servandæ sunt cum periculo mortis, v. g. si Catholicus ab hæreticis, ad carnes in Quadragesima manducandas metu mortis compelleretur in odium fidei, vel hæresis professionem. Quia tunc manducare, esset fidem negare.
- 23 Denique à peccato nunquam excusatur, qui metu levi legem positivam, etiam humanam, transgreditur. Cum enim talis metus facilè re-

pellit queat, non excusat. Nec Legislator unquam præsumitur, levem ob causam, suæ legis obligationem relaxare.

CAPUT VII.

Sacramentorum administrationem, indignis faciendam, excusare non potest metus mortis, nec damni, aut infamie gravissima.

Oppositum docuit Ludovicus de Scildere²⁴ in Epithome Theologiæ anno 1646. publicæ disputationi propositâ, Serenissimoque Archiduci Leopoldo dicatâ §. 12. Verùm improbabiler. Quia Sacramentorum Minister mortem potius sustinere debet, quàm Sanctum dare canibus, SS. Martyrum exemplo, qui vitam & sanguinem profuderunt, ne liberos sacros impiis traderent, ad quod sub pena mortis compellebantur; eos verò qui eisdem tradiderunt, Ecclesia è sinu suo ejecit.

Et nunquid metu mortis compulsus venerabile Sacramentum in cloacam projicere, vel cani porrigere potest? Mori debet potius quàm id facere. Similiter ergo mori debet potius quàm idem venerabile Sacramentum, vel sacram absolutionem dare indigno. Siquis ergo districto ense minetur tibi mortem, nisi concubinæ ipsius absolutionem des, vel sacram Communionem, mori debes potius quàm Sanctum dare cani, vel margaritam porco. Hoc enim vetat Salvator, & scriptum est: *Noli velle fieri Judex, nisi valeas virtute irrumperè iniquitates.*

Nec oppositum sequitur ex eo quòd Sacramenta ministranda sint peccatori occulto publicè petenti. Hoc namque est secundum voluntatem Dei nobis notificatam per exemplum Christi. Est autem contra voluntatem Dei, quòd humano timore Sacramentum ministratur peccatori occulto occultè petenti, vel publicè petenti publicè. Cum hoc Salvator in-hibeat, cum dicit: *Nolue Sanctum dare canibus, &c.*

CAPUT VIII.

Nec licitum est, ex metu mortis, absque intentione, absolvendæ formam pronuntiare super penitente indisposito.

Contrarium docuit idem Author ibidem²⁷ post Sancium in select. disp. 35. num. 6. Ast etiam improbabiler. Quia propositionem hanc vigesimam-nonam inter 65. *Urgens metus gravis est causa justa Sacramentorum administrationem simulandi*, Innocentius XI. velut ad minus scandalosam, & in praxi perniciosam proscripsit. Unde arguitur sic: metus gravis mali non est causa justa Sacramentorum administrationem simulandi. Atqui metus mortis est metus gravis mali. Ergo metus mortis non est causa justa Sacramentorum administrationem simulandi. Est syllogismus in forma, similis huic: anima ra-